THESES...

Aurelius Turrita



(3

THESES
THEOLOGICO-POLEMICO-DOGMATICO-ADIAPHORO-HISTORICAE
AD PUBLICUM CERTAMEN SELECTAE
QUAS
REVERENDISSIMO PATRI
P. PASCHALI A VARISIO
EMERITO S. THEOLOGIAE LECTORI
MEDIOLANENSIS PROVINCIAE
OLIM ITERATO MINISTRO MERITISSIMO
AC
TOTIUS CISMONTANAE FAMILIAE
MINORUM OBSERVANTIUM,
ET REFORMATORUM S. FRANCISCI
COMMISSARIO GENERALI VIGILANTISSIMO
VISITATORI AC REFORMATORI APOSTOLICO
IN OBTESTATIONEM HUMILLIMI ANIMI
D. O. C.
P. F. PEREGRINUS A SIGNA
MINORITA EX REFORMATIS
IN LYCOEO S. BERNARDINI PROPE SENALONGAM
THEOLOGIAE AUDITOR,
MODERAMINE FRETUS
R. P. F. AURELII A TURRITA
EJUSDEM SACRAE FACULTATIS LECTORIS ACTUALIS.




FLORENTIAE ANNO MDCCLXV.
EX TYPOGRAPHIA IMPERIALI.
PRAESIDUM ADPROBATIONE.

27



PRAEFATIO.



I quis forte vestrum est, Auditores, cui admirabile videatur, quod inter multiplices, arduosque Theologiae Tractatus eum delegerim, Sapientissimis vestris conspectibus objiciendum, qui perdifficiles Controversias continet Summae, atque Individuae Trinitatis; paululum ab extasi in me, & admiratione declinet, ut ex me caussae meae intelligat originem, media probet, ac deinde optatissimum finem ab ipso jam exordio tenuisse gratuletur. Et vere aetas, & ingenium meum, licet ad scholastica studia proclive sit, non tamen subeundi periculi aestimationem sibi comparat, & benevolentiam Venerandi Consessus, ut digno ausu credatur hodiernae disceptationis onus suscepisse: quod & Ego fatear ingenue est necesse, si vires meas librare velim, non ascitì Patroni, & amplissimi Maecenatis, de cujus singulari tutela unice

gloriabor, utpote Magni quondam, & Excellentis Viri, deque litteris optime meriti. Te unum intelligo, Reverendissime Pater, cujus Nomini inscriptas publico certamini dedi meas Theologicas Theses: quas certe in sinu perpetuo abscondissem, nisi Tuam in tanto conflictu auxiliatricem manum invenissem. Auspice enim Te, Animus erigitur meus, audens supra id, quod imbecillitas ingenii patiatur, ut quasi immemor sui, memor cantum Patroni, & Maecenatis, summo ardoris impetu eo feratur, quo pervenire solo desiderio vix illi permissum censeri poterat: tanta est quippe tui dignatio, & in me summa bonitas. Sed dum ad haec venio, nescio quo dulci fato ostium tuis laudibus, tuisque encomiis videor aperire, manuque oratoriae consertam virtutum messem subjicere; non quidem figuris variis adornandam, amplificandamque, sed grata tantum memoria recolendam; quia ipsa sibi, nobisque omnibus ampla satis est, atque exornata. Hinc Gentilitiae Stirpis Tuae, inter Varisianas Familias Illustrium Virorum, sive in liberalibus, sive in mechanicis disciplinis, foecundissimas, splendorem consulto mittam, ne Avitis solummodo meritis, quamvis alioquin tuis, ornatus appareas. Heu tamen sortis meae infoelix constitutio! dum vel leve aliquid Humanissimi Patroni, quod laudis umbram redoleat, attingo, statim cogor aliô convertere sermonis mei qualemcumque dispositionem, & enarratoris officio seposito, taciti admiratoris leges servare: nam fastidit Te tuarum laudum audire praeconia, ratus ne orationis fastus optima quaeque, & meliora, specie quadam justitiae, Tibi ipsi diripiat. Caeterum si daretur fandi locus, vellem prima semina virtutum, quae modo in Te ad nostri profectum florent, ab ipsis cunabulis repetere, senectutemque animi referre, qua hominibus, sed magis Superis, acceptus jam ex tunc evaseras, ut consummatus in brevi explevisse videreris tempora multa. Inde sane fluxit, quod cum incerta adhuc premeres vestigia, certa tamen praeberes heroici cordis indicia, atque dein exultares ut Gigas ad currendam viam tuam, non inter divitias affluentis domus tuae, neque inter saeculi voluptates paratam, sed

men-

menti divinitus illapsam, & a Seraphico Patriarcha Pauperum *inter arctioris vitae Claustra ad capessendam Evangelicam perfectionem praeostensam. Vellem religiosa studiorum tuorum curricula, sive cum Tibi ipsi scientiarum pabula quaereres, sive cum aliis abunde ministrares, promeritis laudibus celebrare: vellem sudores non modicos, illasque omnes vigilias tuas numerare, ut Sanctorum Patrum dicta, quasi Apis argumentosa, cooptares, pro sacro subinde suscipiendo Apostolico munere, quo functus es magno cum animarum fructu: vellem Praefecturas singulas edicere, sive cum Definitoris decorem sustineres, sive cum sacras Visitationes perageres Provinciae Januensis, sive demum cum primi Ministratus Tui Pastorales exerceres sollicitudines; quas, benedicente Domino, Filiis Inclytae Mediolanensis Provinciae acceptas fuisse illud vel invicte probavit, quando communi voto, & exultatione iterum in Provincialem Ministrum delegere. Tandem vellem ea, quae in Generalibus Comitiis Mantuae celebratis an. 1762. gesta sunt in medium proferre: dum inscio Te, nec quidquam de futuris eventibus cogitante, imo inde abire properante, conclamatus fuisti, ac mirabiliter prorsus electus Commissarius Generalis totius Cismontanae Familiae; unde occasionem nactus, majora non Tui, sed Religionis incrementa serio meditatus es, tum quoad nitorem intrinsecum Regularis disciplinae, qua exhortationibus, qua minis, qua exemplo, cum quoad extrinsecum, praesertim quando lata universali lege Recentiorum Philosophiam Tyronibus Studiorum legendam praescripsisti. Quibus patratis Sapientiae simul, & Prudentiae argumentis, tuorum Filiorum, & Principum etiam Tibi conciliasti amorem, atque existimationem, ut SS. D. N* CLEMENS XIII *Romanus Pontifex in deligendo Episcopo Magedanensi in Regno Sinarum, designatum a Te R. P. F. Franciscum Mariam a Dervio Strictioris Observantiae plena mente probaverit, & sine haesitatione Ecclesiae illi praefecerit. Haec, aliaque ferme innumera recensere vellem, nisi humilis verecundia Tua, Ampliss. Maec., a longe ea salutare juberet. Quare missis his omnibus, provolutus in genua,*

 exi-

exigui laboris mei Tibi offero munusculum, non ut dignum Patrono id reputem tanto, sed ut conatus hos meos, quod Clementiae Tuae laus est vel maxima, aequi bonique consulas: nam si tenuitate ingenii repromittere mihi ipsi nequeo, ut res ex animi sententia fauste, feliciterque contingat, suffultus tamen Patrocinio Tui, universa dissolvam Haereticorum commenta, & cavillationes, quas effronti calamo in Sacratissimum Trinitatis Individuae Mysterium, invexere; quia hic est optatissimus finis, pro cujus assequtione media proportionata Summa Bonitas Tua praebuit propitio aspectu, quo supplicantium vota soles aspicere, ipsisque ex corde annuere. Dixi



EX



EX TRACTATU
DE INDIVIDUA TRINITATE.



I.



Ysterium Sanctissimae Trinitatis, praecipuum Catholicae Fidei fundamentum, quid sit, praefinitum legimus in Symbolo Athanasiano dicto, dum jubemur venerari Unum Deum in Trinitate Personarum, & Trinitatem in Unitate Essentiae, non confundentes Personas neque substantiam separantes. An autem tantae doctrinae magnitudinem solo naturali ductu percipere valeamus, determinandum venit. Et quidem secura mente dicendum nullam sufficere rationem oculatissimae licet Philosophiae, ut quis, positiva tamen demonstratione, deprehendat ex se hocce Mysterium. Ideo cum D. Bernardo Epist. 190. ad Innocentium Pontif. Dialecticam Petri Abaelardi irridamus, eique sociandum ducimus Raymundum Lullum in suo = De Demonstratione AEquiparantiae = Libro. Sed quid de variis Gentilibus Philosophorum loquutionibus? Aperiamus requisita,

II.

Interim monemus, quod quidquid vel dogmatice, vel ſcolaſtice propoſitum occurrerit in ſubſequentibus, accipiendum non eſt quaſi ſola ratiocinandi methodo foret acquiſitum: ne capiamur in ſermone. Id igitur in primis locum habeat in diſtinctione Divinarum Perſonarum: quarum trinam, realemque ſubſiſtentiam ſtrenue propugnamus, contra Simonem Magum haereſeos Unitariorum Antelignanum Ducem, ſuperbum, ambitioſumque Valentinum, Montaniſtas Cataphrygiarum Sectam componentes, Praxeam, Noetum, atque Sabellianos, unicam, vel ad ſummum duas affirmantes Divinas Perſonas: eſto admittant triplicem appellationem, diſtribuendam per diverſa munia, quibus Deus ſe ſe hominibus manifeſtavit. Verum abſit dicere tres ſubſiſtentes, & diſtinctos realiter Deos, ſicut propugnantur tres reales, diſtinctaeque Perſonae: ſed potius anathema dirigimus in Apellianos, Apollinariſtas, Cononitas, alioſque multiplicatores, ſeu verius deſtructores ſummae Unitatis.

III.

Diſtinctione ipſa Perſonarum fere manu ducimur ad intelligendam Proceſſionum exiſtentiam, & numerum. In cujus quidem limine ſe offert nominis vis, quam eandem prorſus ſcribit eſſe Tertull. lib. cont. Praxeam cap 8 ac Prolationis, & Emanationis apud Graecos Patres. Expenſo nomine, definimus dari in Deo veram, proprieque dictam Proceſſionem, per originem unius Perſonae ab altera. Hanc impie turparunt Valentiniani (ut notat citatus Auctor loco laudato) dum ſuis fictitiis AEonibus Proceſſiones numero, & ſpecie magnas, ne dicamus prope infinitas, exhibent: a quibus abhorret ſententia noſtra, ſtatuens duas tantum, nec plures, nec pauciores eſſe.

IV.

IV.

Ipsa tamen Valentiniana pestis, ut probe declinetur, compellit nos diabolicae versutiae detegere profunditatem, ne hallucinemur fucatis quibusdam rationibus a Patrocinatoribus impietatis magni pensis. Praecipua illarum est, quod Irenaeus, Origenes, Didymus, & Cyrillus Alexandrinus Prolationem ex animo damnent, tanquam injuriosam Divinae Trinitati; sicque proscribere videantur Processionum extantiam. At eam Prolationem intelligunt, quae est veluti effectus promanans a pluribus principiis, accipiens ab unoquoque minimam portionem ad sui ipsius integram compositionem, sicuti Valentinianis Haereticis placuit autumare. Verumtamen non hoc sensu Prolationis damnatio ab Arrianis facta est, uti est auctor Eusebius Nicomediensis Epist. ad Paulinum Tyri Episcopum.

V.

Post haec principium se offert expendendum Processionum: de quo variae circumferuntur Theologorum opiniones, & tricae, acumen potius humani intellectus ostentantes, quam solidas demonstrationes parantes. Nos proinde singulis Scolasticorum sententiis libratis, principium immediatum *quo* volumus esse, Intellectum notionalem Patris respectu Processionis Filii, ac Voluntatem notionalem Patris, & Filii respectu Processionis Spiritus Sancti.

VI.

Notionalis autem Intellectus, & Voluntas ad respectivas Processiones se habent non per *intelligere*, & *velle*, sed per *dicere*, & *spirare*, quia alias esse notionale ab essentiali satis distingui non valeret. Doctrinam hanc hausimus ex

Subti-

Subtilissimo Magistro in 1. sent. dist. 6. q. unica §. *Aliter* n. 4. ubi cont. D. Thomam propriae assertionis vindicat fundamenta: a quo utique stando, modum etiam loquutionis parati sumus propugnare, tanquam ex D. Augustino sumptum (quidquid mussiter Vasquius lib. 15. de Trinit. c. 10.)

VII.

Recrudoit apud nos Divinarum Personarum distinctio, cum legeremus aurea S. Ambrosii verba in exposit. Symb. Apost. c. 11. quae sunt haec: » Nos Deitatis Personas proprietatibus suis distinguentes, unitatem tamen Sanctissimae Trinitatis inseparabilem confitemur. » Ea propter caussam distinctionis laudatae duximus proponere, dicentes, quod sola oppositio relativa, in concreto tamen spectata, prout scilicet importat personales proprietates, realiter distinguit in Deitate Personas.

VIII.

De Relationibus Divinis si quaeratur e nobis sententia, statim responsum dabimus, eas admitti debere, quemadmodum a Theologis definiri solent, Relationes originis effective producentes: quaeque sint intrinsecae, permanentes, mensurabiles secundum naturam rei, quam constituunt. Quare defendimus Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum Relationibus constitui in esse Personae; adeo ut cognitione invicem se includat, ut belle definit S. Basilius lib. 2. cont. Eunomium.

IX.

Hinc cum D. Augustino serm. 38. de temp. dicimus, quod » habent singulae in Trinitate Personae aliquid proprium, quo inseparabili aequalitate aliquam in se ostendant pro-

proprietatem. = Quam proprietatem distinctivam, non naturae, sed hypostaseos firmiter credimus esse; eamque constitutivam reputamus, ac inseparabilem a Persona, cujus est proprietas.

X.

Satis jam de Trinitate veluti generice spectata. Sermo igitur noster convertatur ad Personas individualiter considaratas: ac misso Patre, Filium heic assumimus vindicandum a morsibus quamplurium Sathanae Administrorum. Primum, quod proponimus dogmatice defensandum, est adversus Cerinthum, Ebionitasque, Verbum Patris (de quo Psaltes Regius psal. 101. = Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient =) extitisse priusquam ab Immaculata Deipara conceptu spiritali exciperetur virginali utero. De qua sane praeexistentia ipsummet Incarnatum Verbum loquutum est Joan. 8. Quamvis Laelius Socinus, testantibus, Fausto item Socino prioris impio haerede, & Schmalzio in Resp. ad Parasophis. p. 5., summa audacia glorietur apud suos Divino afflatu (seu melius Diabolico) se deprehendisse intelligentiam loquutionis Christi, non esse de tali praeexistentia.

XI.

Secundum est, Nos credere, & profiteri egressum Verbi a diebus aeternitatis, per veram, realemque generationem, qua per omnia simile est Patri; non decisione aliqua mediante Paternae substantiae, multoque minus immundo ingressu ad substantiam foecundabilem: bene vero quia in Patre adest principium illud, a quo est = Origo viventis a vivente &c. = Huic assertioni refragantur plurimi ex infernali familia, quos inter unus eminet nobilitate, & perfidia pari Joannes Ludovicus Wolzogenius, ratus sophismatibus variis Divini Syderis extinguere posse splendorem; contra quem animo perquam libenti pugnam assumimus. XII.

XII.

Tertium nunc damus: in quo Consubstantialitatem Divini Verbi cum aeterno Parente ob oculos ponimus, Antenicaenorum, & Postnicaenorum Patrum auctoritatibus cumulatt, ad Arianam blasphemiam reprimendam. Non ita tamen, ut negligamus validissima Scripturarum momenta, quae ad suam ipsorum perditionem indocti, & instabiles, Arrius, ejusque socius Asterius, cum Socinianis, mirabili verborum artificio depravant, forte propriis ut consulant insubsistentibus mendaciis.

XIII.

Huc tetendere labores Sanctissimorum Episcoporum, aliorumque Doctorum, ut contra irruentes turbines Arrianicae potestatis invicto spiritu vocem *Omousion* sustinerent; licet carcere, licet exilio, licet tormentis pluribus exagitati. Liberius SS. Pontifex (quem nobis proponit S. Hieronymus in Chron. = utpote Virum undequaque egregium, qui pro Religione Imperatori fortiter restitit) = tot in se mala expertus est, ut non usque in finem permansisse a nonnullis credatur in eadem fidei firmitate, qua increpavit Constantium arriani erroris Patronum: a quo propterea Beraeam Thraciae relegatus fuit. Nos vero, quamvis aliquo modo culpabilem in damnatione Athanasii illum dicamus, propterea quod falsa crimina eidem imposita minus attenta veritatis lucerna perscrutatus fuerit; nihilominus in subscriptione formulae Fidei Syrmiensis a Demophilo Episcopo Arriano sibi oblatae, lapsum a fide non affirmamus, neque proscripsisse *Omousion*: quia primam tantum ex tribus formulis ratam habuit; cujus catholicum sensum S. Hilarius lib. de Synodis agnovit.

XIV.

Cur ergo idem Hilarius lib. Frag. subscriptam a Liberio formulam vocat Arianam perfidiam, adeo ut frag 6. dicat: = Anathema tibi a me dictum Liberi, & sociis tuis. Item tibi anathema, & tertio praevaricator Liberi: = eur? Attende: adulterinus est textus; vel si mavis, falso rumore deceptus extitit S Episcopus qui adhuc in Phrigia exularet, relatione scilicet Arianorum, clamantium supremum Ecclesiae Antistitem consubstantialitatis vocem damnasse. Magnus tamen Hosius Cordubensis Ecclesiae Pastor, plurimorumque OEcumenicorum Conciliorum Pater, a vera, realique subscriptione dogmatis detestandi purgari nequit; esto id effecerit senectute, & tormentis gravatus: veruntamen absit dicere eum ad mortem usque in haeresi perstitisse.

XV.

Ad Pneumatomachos post haec transimus, eosque paulo avulsos ab Arianis invenimus. Nam Dux horum Macedonius, a quo Macedoniani, consubstantialitatem Verbi professus est; sed Spiritus Sancti noluit agnoscere: qua de causa Semiarrianae Sectae levavit vexillum. Illi praeluxere Helcesseitae ab Elxai Judaeo prognati, Spiritum Sanctum Foeminam Christi Sororem credentes, utrumque tamen in creaturarum albo recensentes. Errores Macedonii tam palmares condemnavit Sacrosancta Synodus Constantinopolitana I.; adjeitque Symbolo Fidei = ... Dominum, & vivificatorem, &c = cujus catholicae definitionis veritatem proponimus vindicandam.

XVI.

XVI.

Saeculo IX. alius Constantinopolitanae Sedis invasor Photius Divino Paracleto insultavit, denegans Processionem illius a Patre, & Filio. Primom propterea hic posuit offensionis lapidem (ut ut sit de Theodoreto) Graecos inter & Latinos; ex quo diuturnae scissionis prodiere semina, praesertim per Michaelem Coerularium, cujus opera saeculo II. prioris schismatis Caussam atripoerunt volubiles Graeci relabentes, usque dum in apertam ptoroperint haeresim. Concilium OEcumenicom Florentinum in Decreto Unionis singula recenset capita, qoae eosdem ejurasse certo habemus: esto Marcus unus Ephesinus gloriam totius Nationis, & Fidem aboleverit, datis maledictis desensionibus Photiani dogmatis contra Occidentales Patres.

XVII.

Iterati Lapsus Graecorom non latet caussam dici additionem particulae *Filioque*. At effugium nom hoc sit, non plene intelligimus: sicut etiam tempus peractae additionis penitus ignoramus. Jure tamen factam volumus, in nullo refragantem definitionibus Actionis 6. Ephesinae Synodi, & Actionis 2. Chalcedonensis.

XVIII.

Colligimus ultimo vires pro ea identitate Divinatum Personarum adstruenda, quae in Scholis Circuminceffio metito noncupatur, utpote inexistere faciat mutuo Trinitatis Sacratissimae Hypostases quoad naturam, inseparabilesque

eas

eas reddat etiam in quacumque actione ad *extra*, ut ajunt; peculiari licet modo, nostris indulgendo loquendi modis, uni potius Personae tribuatur, quam alteri.

Horum impugnatio, post tertiam, omnibus libere conceditur.

Disputabuntur die Mens. An. 1765.

Objectis respondente eodem, qui supra.

